

retur in Deum si ex ejus instinctu, et dictamine quis peccaret. At negari non potest, quod possumus multa negotia, et primos actus incipere a peccato, quia possumus ex prava intentione, et fine malo moveri; ergo non ex instinctu Dei.

XLVI. Dicendum nihilominus est: In primo illo actu, qui est simpliciter primus totius vitæ, simpliciter quoque operari hominem ex instinctu Dei: in reliquo vero tempore vitæ, quando incipiunt nova negotia, et homo incipit de novo cogitare de aliquo fine, aliquando quidem incipit homo operari ex aliquo instinctu Dei, aliquando vero non, sed ex aliqua motione propria virtualiter relicta ex actibus antecedentibus, licet semper operetur Deus concursu generali, sive præveniente, sive comitante quoad physicam entitatem actionis. Conclusio hæc sumitur ex D. Thoma hic quæst. IX, art. VI ad tertium. Et per suas partes probanda est. Prima quidem, quia (ut diximus) instinctus hic de quo loquimur, importat propositionem objecti, seu dictaminis practici inclinantis voluntatem, aut moventis, ita ut suppleat vicem imperii, quo ex voluntate propria movetur homo in his ex quibus imperium componitur, nempe ex denuntiatione, seu propositione objecti, et inclinatione voluntatis, sive efficaciter consequatur effectum, sive non, dummodo efficax sit ad imperandum, et ordinandum: utroque enim modo imperium invenitur, et utroque modo instinctus procedere potest, et aliquando frustrari effectum, aliquando habere. Quando ergo ex instinctu isto proponitur, seu denuntiatur objectum in primo actu totius vitæ, oportet totam objecti manifestationem, et propositionem a Deo fieri non accommodando se alicui propositioni antea factæ, et virtualiter permanenti, aut dispositioni, et co-

gnitioni præhabitæ, quia illa est omnium prima, et sic nihil antea supponit, juxta quod motio divina determinetur, et cui se accommodet. Ergo debet esse tota illa propositio, et instinctus a Deo, et ex ejus motione debet formari illud dictamen, quod tunc proponitur, quia ab alio non est a quo formetur. Et sic probata manet prima pars conclusionis.

XLVII. Secunda vero, quod in reliquo vitæ tempore, quando nova negotia incipiunt, novusque finis intenditur, aliquando Deus immitat instinctum suum, et excitet de novo mentem, constat; tum in rebus omnino ignotis, de quibus ante non cogitavimus, ad quos mens moveri non potest ex præmeditatione, sed instinctu superiore, quem etiam aliquando nescientes humanæ mentes patiuntur, ut ex D. Augustino II de Genesi ad litteram, capite XXVII, docet S. Thomas 2-2, quæst. CLXXI, art. V, ubi optime tradit doctor sanctus differentiam inter instinctum, et prophetiam, quod prophetia fit per expressam revelationem, quæ secum affert certitudinem, nam et tenetur finem ei adhibere. Quæ vero per instinctum aliquem internum mens sentit, non semper plene novit, an ex spiritu Dei id proveniat, an per proprium spiritum propter imperfectionem luminis. Quare non est dubium aliquando durante vita, etiam post primum instans, duci aliquos instinctu Dei etiam eo modo quo in primo vitæ instanti, quia a Deo accipiunt dictamen, et consilium de his, quæ antea non cogitaverant ullo modo. Et sic non est ex præmeditatione, sed videtur esse a casu respectu nostri, sicut illud quod dicitur I Macchab. IV: *Et incidit illis bonum consilium*, cum tamen illud a Deo fuerit, a quo est omne bonum, et a quo specialiter aguntur humanæ

mentes in fines aliquos ad quos a Deo destinantur, et sentiunt quandoque internam aliquam impulsam, et quasi attrahentem vim, qua ad aliquid moventur, ut ad occidendum tyrannum, ad consequendum regnum, ad insequendum hostes, vel aggrediendum quodcumque simile facinus, de quo prius nihil cogitaverant, quæ utique de novo provenire non possunt, nisi ex aliquo superiori instinctu, et ab exteriori principio, quia ex propriis nihil antecedenter relictum erat, unde ad id moverentur. Tum denique id constat in motibus supernaturalibus, quibus primo aliquis excitatur ad conversionem suam: licet enim excitatio ista, quandoque fiat in decursu vitæ ex aliquibus præsuppositis, quæ aliquis audivit, vel percepit de rebus divinis, tamen etiam aliquando movetur quis subito ad fidem, quam antea versabatur, ut Saulus, nec unquam placuerat: et talis excitatio ex peculiari Dei motione, et excitatione provenire debet, nec enim est aliud principium, unde agatur.

XLVIII. Tertia denique pars conclusionis, quod non semper in omni principio, et inchoatione cujuscumque negotii agatur homo ex instinctu Dei, et ex dictamine ipsius, constat; tum, quia bene potest homo in decursu vitæ incipere velle aliquem finem pravum ex mala intentione orta, vel ex suggestione diaboli, vel ex recordatione aliqua subita alicujus peccati, quod audivit, vel cognovit, aut ex aliqua prava dispositione corporis inclinante in aliquod malum, et ex tali intentione inchoare aliquod negotium; constat enim multos peccare ex malitia, et prava intentione, etiam quando incipiunt aliquid velle, quia non repugnat in prima volitione alicujus negotii moveri aliquem ex principiis inducentibus ad mali-

tiam, et proponentibus aliquem finem pravum sub specie alicujus boni, verbi gratia, ex aliqua prava dispositione corporali inclinante in aliquod peccatum, vel ex remotione alicujus prohibentis peccare, ut ex remotione spei vitæ æternæ, vel timoris gehennæ; ex his enim principiis oritur, quod aliquis peccet ex certa malitia, ut docet S. Thomas infra quæstione LXXVIII, articulo III, quod est peccare ex mala intentione; et similiter potest in tali inchoatione alicujus negotii incipere aliquis operari ex suggestione dæmonis, atque adeo ex intentione mala; ergo quandoque in primo actu alicujus negotii ducitur aliquis non ex instinctu Dei, sed ex proprio, vel dæmonis. Tum etiam hoc constat in pluribus negotiis, quæ homo inchoat, et incipit velle in vi alicujus recordationis, seu rei quam audivit, vel legit, vel cognovit; juxta illa enim quæ quis aliquis aliquando assuetus est, solet postea quandoque moveri, et impelli ad operandum; ergo non oportet quod in omni primo actu, et inchoatione cujuscumque negotii incipiat aliquis præcise ex instinctu Dei, sicut in primo actu totius vitæ, sed potest etiam ex aliis principiis inchoare.

XLIX. Ad rationes dubitandi patet ex dictis: ad primam dicitur discursum D. Thomæ efficaciter ostendere, quod oportet in aliquo primo motu devenire ad principium exterius movens, quod est instinctus Dei, sed non est ejus intentum probare quod id fiat in omni primo motu, sed vel in illo, qui est primus simpliciter in tota vita, vel qui est ita primus in aliquo negotio, quod non habet connexionem cum aliquo motu antecedenti, nec in se est malus, nec ex suggestione dæmonis proveniens. In aliis autem, qui vel ex recordatione alicujus antecedentis motus, vel ex suggestionem, aut

impressionem alterius inchoantur, non est necesse ad instinctum Dei recurrere, neque voluntas movetur, nisi ex aliqua voluntate præsupposita, et de novo sibi proposita vel per recordationem, vel per suggestionem, nec in illa est abire in infinitum, sed sistitur in primo actu simpliciter, vel in eo qui non habet ullam connexionem cum aliis.

L. Et cum dicitur, quod oportet in his quæ ex nova recordatione, vel suggestionem fiunt, assignare novum efficiens, seu applicans, quod effective moveat voluntatem, illa enim solum objective movent, respondetur hoc efficiens quantum ad causam proximam, seu causam secundam (nam quoad causam primam semper est Deus, saltem quoad entitatem actus) esse illam quæ suggeritur, aut quæ interius recordari facit, et talem speciem memoriæ adducit quod potest ex variis causis corporalibus accidere sicut in somnis accidit diversas species occurrere ex motione spirituum vitalium, et sanguinis, ubi species ipsæ inhærere solent, aut ex aliis similibus motibus, et impressionibus memoriæ, quas quotidie experimur, licet causas ignoremus. Aliquando etiam ipsa voluntas excitat memoriæ effective applicando speciem ejus, ut intelligat juxta quod Augustinus dicit x de Trinitate, c. vii: « Quod voluntatis intentio copulat speciem in memoria existentem ad aciem animi interius cogitantis, » Sed tunc voluntas movet præsupponendo alios actus priores unde moveat, non ille est primus actus, quo incipit. ut mota ab alio.

LI. Ad secundam dicitur probare, quod non in omni negotio fit primus actus, et inchoatio ab instinctu Dei, sed etiam potest ex principio peccaminoso incipere, quod libenter admittimus.

LII. Secunda propositio D. Thomæ quæ indiget explicatione, est quam ponit in hac quæstione vi, articulo vi ad tertium, ubi inquit: « Quod Deus movet voluntatem hominis tamquam universalis motor ad universale objectum voluntatis, quod est bonum, et sine hac universali motione homo non potest aliquid velle, sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc, vel illud, quod est vere bonum, vel apparens bonum. Sed tamen interdum specialiter Deus movet aliquos ad aliquid determinate volendum, quod est bonum, sicut in his quos movet per gratiam. » Hæc enim propositio videtur destruere omnem efficaciam divinæ voluntatis ad movendum, et determinandum liberam voluntatem, et adstruere indifferentiam decreti divini, et concursus, quia de se datur ut ab universali motore, deinde vero determinatur ab homine per rationem ut velit hoc vel illud, ut disertis verbis dicit hic S. Thomas: ergo determinatio ista non est a Deo, sed tota determinatio est ab homine; operatio autem Dei solum est indifferens, et determinabilis, quia dicit D. Thomas esse motionem universalem. Solum vero excipit D. Thomas motionem Dei specialem per gratiam, quando movet ad determinate volendum.

LIII. Respondetur propositionem hanc D. Thomæ non continere aliud quam communem doctrinam, quod scilicet homo per rationem determinat se ad hoc vel illud, quod est certissimum: sed tamen homo determinat se ut causa proxima, et secunda, quæ in sui determinatione est dependens a causa prima, quæ est primum movens, et primum efficiens illius determinationis. Et sic quando dicit S. Thomas quod Deus movet, ut universalis motor voluntatem, ly ut universalis, non intel-

ligitur universalitate indifferentiæ, et potentialitatis, et quæ sit determinabilis per nostrum consensum, sed universalitate activitatis, et causalitatis, et quæ sit etiam efectiva nostræ determinationis, et consensus, et libertatis, quia Deus non solum movet ut velimus, sed ut tali modo, scilicet, libere velimus, ut sequenti quæstione x, articulo iv dicit D. Thomas, et innumeris aliis locis, quæ sæpius citavimus in primo et secundo tomo, prima parte et alibi.

LIV. Quare D. Thomas nusquam docet motionem Dei ita esse universalem, quod sit determinabilis per nostram voluntatem, nec docet quod homo ita se determinat, quod illa determinatio expectetur a Deo, non ab ipso efficiatur; sed motio Dei ita est universalis, quod sit etiam efectiva, et causativa determinationis nostræ, non indifferenter se habeat ad illam indifferentiam potentiali; homo autem ita se determinat per rationem, quod illa determinatio est dependens, et causata ab universali motione Dei, ut patet in illis verbis D. Thomæ: « Et sine hac universali motione non potest homo aliquid velle. » Non dixit sine hoc universali concursu (quod pertineret ad concomitantiam) sed sine universali motione, quod pertinet ad causam præcedentem, id est, moventem ipsam causam creatam, non præcise coefficientem. Et tamen dicitur motio divina determinari a nostra determinatione, non ut ab agente erga divinam motionem, sed ut a materia, seu materiale, et motionem, et objectum præbente, quia Deus efficientiam suam, et influxum physicum (de quo nunc agimus) accomodat juxta determinationem nostræ voluntatis, et objectum illius. Quando autem subdit D. Thomas: « Interdum Deum specialiter movere aliquos ad aliquid determinate volendum, » loquitur de speciali mo-

tionem, quantum ad instinctum, et dictamen, et excitationem objectivam, atque inspirationem, et physicam motionem ei correspondentem sicut facit per gratiam; nos autem loquimur de sola generali illa motione, qua etiam nostram determinationem entitative causat etiam in entitate actus peccaminosi, quo volumus apparens bonum, et juxta quod Deus licet semper moveat ad bonum physice, et entitative, non tamen semper nos movemur moraliter ab bonum per rationem, aut executionem, aut consilium; quæ est solutio argumenti, quod solvebat ibi D. Thomas.

LV. Tertia propositio est in eadem quæstione x, articulo vi, ubi probat D. Thomas voluntatem a solo Deo moveri, quia solus Deus est causa voluntatis. Hoc enim habet plures instantias, cum videamus plures res moveri ab aliis rebus et causis, a quibus causatæ non sunt, non solum contra propriam inclinationem, etiam quando ad id habent naturalem inclinationem, sicut oculus movetur ab objecto, et etiam ipse intellectus, et corpus movetur ad sanitatem, quæ est forma naturalis non solum a natura, sed etiam a medicina, et ab arte; materia etiam movetur ad formam, quam naturaliter appetit; agentia inferiora moventur a superioribus ad agendum etiam actiones suas naturales ad quas inclinantur. Imo et voluntas movetur effective ab habitu ad operandum id, quod consuetum sibi est, et intellectum probabile est movere voluntatem effective per bonum apprehensum; ergo falsa est doctrina D. Thomæ.

LVI. Confirmatur, quia si ratio D. Thomæ aliquid probat, nec de potentia absoluta posset ulla creatura movere voluntatem interius, cum nulla creatura possit esse causa voluntatis, et creare illam, nec possit

illabi voluntati. At potest saltem instrumentaliter creatura immutare voluntatem, quia potest producere gratiam, et charitatem, et virtutes, quæ intra voluntatem sunt; ergo falsa est doctrina D. Thomæ. Denique Angelus potest effective illuminare intellectum, ut sumitur ex D. Thoma 1 p. q. cvr, a. 1; ergo et influere in voluntatem, quia non minus est Deus causa intellectus, quam voluntatis.

LVII. Respondetur D. Thomam expresse loqui de motu naturali alicujus rei, et non qualicumque, sed ad quem concurrunt active, et non passive solum se habet. Nam de motibus non naturalibus, nec ex virtute naturæ emanantibus, dubitari non potest, quod possit agere in aliud, etiam illud agens quod non est ejus generans, neque causa, ut ignis in aquam, vel in lignum, et unum contrarium in aliud. Loquitur ergo D. Thomas de motu naturali. Et licet aqua naturaliter moveatur ab igne, et res quæ corrumpitur naturaliter corrumpatur a suo agente, id tamen est ratione principii passivi, quod est materia quæ naturaliter inclinatur ad aliam formam, ut generatio fiat. Et ideo addimus, quod illa propositio D. Thomæ quod in motu naturali non movetur aliquid nisi a suo generante, intelligitur de motu naturali activo, et procedente active a re, non de mere passivo; hic enim potest esse, non solum a suo generante, sed etiam a corrumpente, et a contrario.

LVIII. Et hinc sumitur fundamentum hujus, quia motus naturalis passivus fundatur in potentialitate subjecti, vel materiæ, quæ est ad formas contrarias, et ideo non est contra ejus naturam, quod a contrario unius formæ moveatur, et patiatur, quin potius tam naturalis est iste motus materiæ ipsi, sicut est naturale quod sit receptivum illius,

et inclinationem dicat ad talem formam. At vero motus naturalis activus, seu actio fundatur in activitate agentis, et in actualitate formæ, et proprietate naturæ, quæ sicut habet unam activitatem, et formam, ita et inclinationem ad id quod est conforme tali naturæ, et ab ipsa potest oriri. Et sic in talem actionem, seu operationem, quatenus naturalis est, solum potest influere quoad exercitium vel ipsa natura, vel productur talis naturæ, a quo natura dependet in suo fieri, vel in suo conservari, solum enim a tali agente oritur naturalis operatio; voluntas autem tam in fieri, quam in conservari physice, et intrinsece, et quatenus vitaliter activa a solo Deo dependet. Solus ergo ipse influere potest intrinsece, et quoad exercitium in id quod voluntarie, et intrinsece ab ea procedit, licet intrinsece etiam in ipsam influat objectum specificative, et finaliter, quatenus passive, et in potentia se habet ad illam.

LIX. Ad instantias in contrarium patet solutio. Nam ad illa exempla quæ afferuntur, dicimus illos motus esse passivos, sensus enim est in potentia ad species, et objecta, sicut et intellectus; materia ad formam; corpus infirmum ad sanitatem etiam se habet in potentia, et passive movetur ab applicatis per artem. Agentia autem inferiora moventur ad naturales motus ab agentibus superioribus, a quibus etiam dependent in suo esse, sive quoad fieri, sive quoad conservari, ut hæc inferiora a cælo, nam cælum etiam est generans illorum, et sic dependentia a cælo est dependentia a suo generante. Voluntas autem non movetur ab habitu effective, cum solum sit principium quo, et forma illi inhærens: movetur autem effective ab acquirente, vel infundente habitum. Sed acquirens est ipsa vo-

luntas, quæ se movet, et infundens Deus, qui est auctor voluntatis. Intellectum autem non movet interius quoad exercitium ipsam voluntatem, sed solum proponendo extrinsece objectum, quatenus voluntas est in potentia ad speciem actus; quæ propositio intrinseca ab aliquibus effective vocatur, sed revera non est, sed objectiva. Si tamen effective vocetur, non erit per influentiam intrinsecam, et physicam in voluntatem, sed extrinsece proponendo.

LX. Ad confirmationem respondetur concedendo posse creaturam instrumentaliter operari intra voluntatem, ut patet in infusione charitatis, et virtutum facta per sacramenta in opinione D. Thomæ quod sunt physica instrumenta. Non tamen requiritur quod instrumentum sit generans, aut intime illapsum voluntati, quia instrumentum non operatur virtute propria, sed Dei qui est auctor, et intimus ipsi voluntati; potest autem Deus etiam per instru-

mentum distans operari in remotum, quia Deus ubique est, et rem remotam movet ea virtute, quia ipse propinquus est rei.

LXI. Ad ultimum dicitur, quod Angeli non operantur intra intellectum quando illuminant, effective producendo, ut agendo lumen, vel infundendo species, sed solum extrinsece proponendo, et repræsentando aliquid, unde ipse intellectus in se agat effective, et confortetur, ac perficiatur in lumine, ut ex D. Thoma ostendimus II tomo, I p. disp. xxv, ibique solvimus auctoritates D. Thomæ, quæ videntur dicere, quod Angelus confortat effective lumen inferioris, quod tamen fit modo repræsentativo, et per extrinsecam propositionem, modo tamen peculiari, quatenus accommodat illam capacitati inferioris. Et hoc habet ultra communem modum proponendi objecta, ut dicatur sic confortare lumen inferioris; ut latius ibi potest videri.